


~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced





Σὺν ἄλλῳ

THEOREMA

QVOD EX VER-
BO REVELATO
VNIVERSA SALVTIS
ratio petenda sit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, DN. IOHANNE
GEORGIO VOLCMARO, S.S. Theologiae
Licentiatō, & in Academia VVitenbergensi
Professore publico:

Contra SPENCFELDIANOS,
AD DISPVTATIONEM SECVN-
dam in Collegio studiosorum Theolo-
giae privato propositum.

M. HERMANNO VVOLFIO
Lubecensi.

Respondente

CHRISTOPHORO ZECHERO
Noribergensi.

VVITEBERGÆ

Typis Viduae Matthæi VVelaci
Anno, M. D. V C.



REVERENDO ATQVE
CLARISSIMO VIRO, EXIMIA
PIETATE, DOCTRINA EXCELLEN-
ti, & multiplici rerum usu præ-
stantissimo,

Dn. M. ANDREAE POVCHENIO
Ecclesie Lubecensis Superintendenti
spectatissimo:

Ceterisque

Reverendissimi, eiusdem Ministerii Pastori-
bus & ministris fidelissimis:

Domini, Præceptoribus & fautoribus suis benevolis,
omni observantiæ cultu perpetuum honorandis,
Theses hæc Theologicas reverenter
offert & dedicat.

M. Hermannus Wolffius Lubecensis.



THESES THEOLOGICÆ,
De principio notitiæ reuelatæ,
contra Suencfeldianos.

I.



Um superiore disputatione demonstratum sit,
ex sola reuelata notitia salutis viam cogno-
sci posse: consequens nunc est, ut quenam
sit illa, seu unde petenda sit, deinceps dispicia-
mus.

Ἀφορμῆ.

2. Rem per se planam & expeditam, dubia questione involuerunt fanatici, dum affirmarunt, ex solis arcanis Spiritus sancti inspirationibus notitiam istam petendam esse, qua ratione externi verbi ministerium, ex quo illam hauriendam docent Orthodoxi penitus eneruarunt.
3. Ex horum numero fuit inter ceteros Cinglius, quem Disput. Bernens. anno 1527. eodem tempore secuti sunt alij nonnulli, qui opinionis istius, prima, nostro tempore, iecerunt semina: Sed eam postea maiori furere auxit Casparus Suencfeldius, nobilis Silesius: à quo, utpote precipuo impij istius dogmatis propugnatore, omnes quotquot etiamnum ex Sacramentarijs, & alijs illud retinent & defendunt, Suencfeldianorum Titulo dignamur. Hieron. Zanchus in miscel. vbi damnat. 5. artic. August. Conf. Grineus in disp. de Eucharistia th. 6. 17. 21. 22.
4. Ut autem remotis peregrinis questionibus, verum huius disputationis Ζητήματα prodeat, sciendum i. non hoc queri quod statuit Bellarminus utrum scriptura Prophetica & Apostolica Deum habeat authorem, hoc enim uti nos affirmamus, ita nunquam inficiatus est Suencfeldius sicut ex confessione fidei ipsius manifestum est.
5. Nec illud in controversiam venit, utrum propter ministerium verbi salvemur, & quam tamen sententiam nostris non obscure affingere videtur adversarius: cum illi alios Theol.

non propter, sed per verbi ministerium homines saluari
asserant.

6. Neque hoc disceptatur, num Deus, si vellet, etiam si-
ne ministerio verbi hominum salutem operari posset. Hoc
enim mera εὐδοκίᾳ ipsius esse fatemur; qui, si vellet, etiam
sine medijs, effectum illud producere valeret.

τὸ ζητῶμεν.

7. Id verò in questionem venit: Vtrum universa salutis
ratio, ex verbo externo, an verò ex sola interna Spiritus
sancti revelatione petenda sit.

ἐκθεσις τῶν διδωμένων: 1. τὸ ἡγῶμεν.

8. Salutis rationem cum dicimus, omne id intelligimus,
sine quo salus & beatitudo aeterna, non obtinetur, quae-
lia sunt, vera Dei agnitio, & eius quem misit Iesum Chri-
stum; fides, &c. breviter notitiam illam revelatam, quae
quid sit, in superiori συζητήσῃ definitum fuit.

τὸ ἐπομῶς:

9. Verbi externi appellationem, quatenus ipsius Dei esse
intelligitur, delirio Suencfeldii opponimus, quo fingit,
nullum aliud Dei verbum propriè loquendo esse, quam Fi-
lium Dei: propterea, quia nullum verbum aliud à Deo un-
quam dictum aut prolatum sit, quam unicum aeternum
verbum.

In lib. de
verbo Dei.

10. Vbi principium petit homo vanus, sumendo id, de
quo maximè est questio: Nos contra sic inferimus:
Si Deus non tantum ab aeterno λόγῳ genuit, sed etiam in
tempore cum patribus locutus est, illudq; verbum postmo-
dum literis consignari curavit: non unum tantum ver-
bum, quod est λόγος οὐσιώδης καὶ ὑποστατικός, sed praeterea
aliud quoddam diversum, agnoscendum erit. Verum est an-
tecedens: Ergò & consequens. Connexum hypotheticum
constat, ex ipsius adversarij testimonio.

1. 3. 7. 1.

Assumptum ex Epist. ad Ebr. confirmatur, quae
dicit: Deum multifariam olim cum patribus locu-
tum esse &c. & a'ijs testimonijs. Est

11. Est igitur verbum aliquod Dei externum, doctrina
nimirum Prophetica & Apostolica, à Deo tradita, per
quam sibi Ecclesiam ex genere humano colligit, hominesq;
in ea ad salutem & vitam aeternam erudit & informat.
d. quod postea demonstrandum erit.

12. De hoc verbo regius Propheta, lucerna, inquit, pes psal. 119.
dibus meis verbum tuum. Et servator noster: Beati, qui v. 115.
audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11. v. 28.

13. Item Paulus, Cum accepissetis à nobis verbum au-
ditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed I. Thes. 2.
sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui v. 13.
credidistis.

14. Externum vocatur, non, quòd ad externum tan-
tùm hominem, & ad sensus illius, nequaquam verò ad in-
ternum hominem (ut quidem Suencfeldiani & qui ve-
stigijs ipsorum insistent, utrumq; definiunt) pertingat. Grineus ibid.
th. 16. & 17.
aph. 2.
Beza 2. par.

15. Sed quia externis primùm sensibus percipitur:
ita verò perceptum, efficacissimum est organum, per quod
interna & caelestia bona nobis dispensantur & c. Resp. 1

16. Siquidem (ut D. LUTHERI verbis utamur) De-
us definiuit, nulli hominum interna, hoc est, Spiritum,
fidem, & alia donare, sine externis, quae sunt verbum
predicationis & Sacramenta: idq; ea ratione & lege, ut
haec externa precedere debeant, & oporteat, postea sequi
interna, Spiritum & fidem.

17. Atque sic verbum illud externum toti confert ho-
mini, qui externus vocatur, non corporis tantùm respe-
ctu, sed ratione utriusq; & corporis & anima, in quantum
non sunt illa regenerata plenè seu perfectè, sed peccati re-
liquijs adhuc sunt obnoxia. Internus autem nominatur,
in quantum regeneratus est.

18. Regeneratio enim non ad solam hominis animam
sed etiam ad corpus, eiusq; membra pertinet, unde cor. 1. Cor. 3.

pora quoque renatorum templa Spiritus sancti: & membra fidelium, membra Christi appellantur, &c.

19 Altera pars τοῦ ἐποπιδίου est, de interna Spiritus sancti revelatione; quam sic describit Suencofeldi-Grinaus in
n. Cor. 6. v. 15
disp. Heidelb.
de Eucharist.
contro. th. 16.
us; Scripturam esse literam mortuam: spiritum verò vivificantem esse sensum mysticum, quem Spiritus in corde hominis dictitet.

20 Hanc Alij vocant ministerium internum, item interni verbi praconium, quo tantum Christi Spiritus defungitur, sicuti externo ministerio, verbi ministri. De qua distinctione quid sentiendum sit, infra patebit.

21. Illud hoc loco observandum venit, litera appellatione non universam scripturam ab Apostolo designari, sed ut ex antithesi, quam instituit apparet, legem intelligi, eamq; literam occidentem, (non mortuam) nominari, ratione sui effectus, quem ciet in homine, arguens eum de peccatis, & stipendium peccati mortem denuncians; atq; sic spiritua liter hominem occidens.

2. Cor. 3.
v. 6.

22. Quam igitur ineptum, ex solius Legis effectu, quem sortitur per accidens, ad propriam universae scripturae sacra naturam argumentari &

Διορισμός τοῦ Ζητήματος

23. Terminis sic expositis, id nobis nunc demonstrandum venit; non ex sola interna & singulari Spiritus sancti revelatione, sed ex verbo scripto & praedicato, omnia, quaecunque ad salutis rationem pertinent, haurienda & petenda esse.

24. Quod ut fiat dexterrimè, eandem, qua superius observata est, methodum retinentes, κατὰ ἀνακρίσεις primùm ex immotis scripturae fundamentis, sententia nostra veritatem astruemus. Mox adverse opinionis ἀνακρίσεις subjiciemus.

Locus

Locus I.

25. Non pudet me Euangelii Christi, est enim potentia Dei ad salutem omni credenti.

Rom. 1. 16.

Item: Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.

2. Cor. 2.

26. Ex his ita λογίζομεθα: Quicquid vitam & salutem potentissimè operatur, ex eo etiam unico, quacunq; ad salutis rationem pertinent, hauriri debent.

At Euangelium de Christo, vitam & salutem potentissimè operatur.

Ergo ex eo etiam unico, quacunq; ad salutis rationem pertinent hauriri debent.

27. Propositio non tantum de causa efficiente principe, sed etiam instrumentali intellecta, est verissima.

Assumptio ex citatis locis astructur: Nisi forsancum Suencfeldio delirare velimus, Euangelii voce ipsum Christum intelligi, qua ratione sic accipienda fuerint verba Apostoli, non pudet me Euangelii; id est: Christi, Christi: & τοπου.

Locus II.

28. Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit Dei homo ad omne opus bonum instructus.

2. Tim. 3. 15.

Qua

29. *Quae verba hunc nobis iterum suppeditant syllogismum. Quicquid hominem ad fidem & salutem instruat, adeoq; perfectum reddere potest, ex eo tota salutis ratio excipienda erit.*

Scriptura sacra, facere hoc potest.

E. ex scriptura sacra, seu, quod idem est, ex verbo scripto & predicato tota salutis ratio excipienda erit.

30. *Propositio, eodem quo precedentis argumenti, nititur fundamento. Assumptionem allegata testimonia largiuntur. De conclusione ergo nullum dubium est reliquum.*

Locus III.

Es. 8. v. 19.

31. *Cum dixerint ad vos, quaerite à Pythonibus, & divinis, qui strident in incantationibus suis: nunquid non populus à Deo suo requireret visionem, pro vivis à mortuis? Ad legem & testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.*

Ier. 2

32. *Notanda est temporum nostrorum cum prisco illo seculo similitudo. Sicut enim vel in medio populi Dei reperiebantur, qui relicta verbi divini regula à Pythonibus veritatem inquirere non dubitabant: & ut loquitur IEREMIAS, derelinquebant fontem aquae vivae, & fodiebant sibi cisternas, cisternas, quae continere non valebant, aquas: sic nunc dantur ex his qui in medio Ecclesiae gremio versantur, qui aliunde, quam ex vivis fontibus Israël, quicquid est spiritualium donorum & bonorum, haurire malint.*

Luc. 16. v. 30.
& 31.

33. *Quibus omnibus etiam servator respondet: Habent Mo- sen & Prophetas, audiant illos. Et rursus: Si Mo- sen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

34. *Hinc arguemur, Si Moses & Propheta trans-
iunt*

tum audiendi sunt, & Legis & testimonij standum arbitrio, utiq; ex illis omnis salutis nostra ratio petenda erit.
Verum Antecedens. Ergo & consequens.

35. Ratio connexi manifesta est, quorsum enim ad legem & testimonium adstringimur? quorsum Mosen & Prophetas audire iubemur? nisi, quia in illis teste, Christo, vitam habemus: quia de ipso testantur; quia denique Moses de ipso scripsit. Ioh. 5. v. 39.
'bid. v. 46.
Assumti veritas ex adductis testimoniis claret.

Locus IV.

36. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Mal. 2. v. 7.

37. Scientia nomine illam, qua salutis est, & in Christum determinatur, intelligi, nullum est dubium: & vicissim, Legis appellatione, totam doctrinam caelestem, cuius cognitio ad salutem consequendam, est necessaria. Luc. 1.
Esa. 53.
Esa. 2. v. 4.
Ioh. 6.
Illud verò, quod in Ebraeo est, *uschmeru custodient*; item *lebakkeschu requirent*, rectius in *προςανλυνω quam ογισινω modo exponitur*, custodiant & requirant.

38. Huc ceteri: Posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus meae protegam te, ut plantes caelos, & fundes terram, & dicas ad Sion, populus meus es tu. Esa. 5. v. 6.

39. Item: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, & posuit IN NOBIS, verbum reconciliationis. 2. Cor. 5. v. 19

40. Ex his ita concludimus: ubicunq; thesaurus caelestium bonorum à Deo est depositus, ibi tantum, & non alibi quæri potest & debet.

Iam verò thesaurus iste, in verbo est depositus, & quidem in isto verbo, quod sonant labia sacerdotum.

Ergo ex verbo tantum predicato, thesaurus iste peti potest, & debet, seu, quod idem est, universa salutis nostra ratio ex ve haurienda est.

41. Maior, præterquam, quòd sua luce clara est, nititur quoque hoc scriptura testimonia: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in caelum & id est Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis revocare. Quibus verbis Apostolus reprehendit illos, qui iustitiam fidei, alibi quam in patefacto verbo, quod fidei vocat, requirebant.

Rom. 10. v.
6.7.

42. Et in precedentibus affirmat, Iudeos iustitiam coram Deo valentem non apprehendisse quia illam in lege, non in Evangelio quaesiverint. Maiorem itaq; textus Apostolicus suppeditat.

Rom. 9. v. 31.
32.

43. Minoris veritas excitatis testimonijs patet, quæ nos ad os, ad labia, ad verba sacerdotum revocant, in quibus thesaurus iste divina ordinatione, quasi sit reconditus.

44. Quo pertinent etiam sequentia Apostoli verba in testimonio prius adducto: sed quid dicit scriptura? propè est verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.

Rom. 10. v. 8.

Sequitur ergò, quod vi præmissarum infert conclusio.

Locus V.

45. Insignis etiam sententia nostræ confirmatio apud Paulum occurrit quando Evangelium sic describit: quòd sit prædicatio Iesu Christi, secundum revelationem mysterij, temporibus æternis taciti, quòd nunc patefactum sit per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obedientiam fidei in cunctis gentibus cogniti, &c.

Rom. 16. v. 26.

46. Item: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare in gentibus impervestigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit communio mysterij absconditi à seculis in Deo, qui creavit omnia.

Eph. 3. v. 9

Sic Coll. 5. v.
26.

2. Tim. 5. v. 9

Act. 2. v. 27

47. Item: Non subterfugi, quo minus annunciarerem vobis omne consilium Dei.

Inde

48 In de ista inferimus: Si omne consilium Dei de salute nostra per Apostolos revelatum est, & per verbum eorum illuminantur omnes, non aliunde etiam, quam ex verbo isto salutis nostra ratio petenda erit. Verum est antecedens. Ergo & consequens.

49 Connexum hypotheticum est manifestum, si in omnia in verbo revelata sunt, nihil erit reliquum, quod non sit revelatum. Rursum si id quod revelatum est, per verbum predicatum patefit omnibus, quid est, cur alium, cognoscendi id, quod ad salutem est necessarium, modum, scrutemur? Assumptum allegata loca perspicue probant. Unde consequens sequitur necessario, &c.

Locus VI.

50. Euntes docete omnes gentes, &c. predicare. Eius angelum omni creaturae.

Matt. 28. v. 19

Mar. 16. v. 15

Rom. 10. v.

14. 15.

Item, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante?

51 Item; quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.

1. Cor. 1. v. 21

52 Quae verba hoc nobis suppeditant argumentum: Impossibile est alia ratione & via Deum cognoscere, vel salutem suam operari, quam ea ipsa, qua à Filio Dei prescripta & ordinata est.

Is vero sic ordinavit, ut per verbum nos ad Deum adducat, & salutari cognitione sui imbuat.

Ergo impossibile est alia ratione & via salutem suam operari. Et ut consequentis: ex solo verbo externo salutis nostrae ratio excipienda est.

Locus VII.

53 Per legem cognitio peccati. Et peccatum non cognovi, nisi per legem.

Rom. 3. v. 20

& cap. 7. v. 7

54. Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad Euangelizandum afflictis misit me.

Item: Hoc saltem à vobis uolo discere, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

55. Ex his sequentem teximus conclusionem: si ex Lege & Euangelio cognoscuntur & percipiuntur omnia, quæ ad salutem nostram pertinent; utiq; ex verbo tantum salutis nostræ ratio petenda erit.

Verum prius. Ergò & posterius.

56. Probatur connexum hypotheticum, quid enim aliud est verbum, quàm Lex & Euangelium, quæ sunt duo precipua religionis nostræ capita, in adductis locis scriptura, manifestissimè expressa &

Assumptum quoque est manifestum, siquidem tota salutis nostræ ratio in hoc cardine vertitur, Agite poenitentiam, & credite Euangelio. Iam ex Lege est poenitentia, ex Euangelio fides. Ergò, &c.

Locus VIII.

57. Huc referimus exempla Scriptura, quæ nobis processum Dei, quem in saluandis hominibus observat, ob oculos ponunt: Iudæi & profelyti audiunt concionem Petri & compunguntur corde. Eunuchus reginæ Candaces per Philippum fide donatur. Cornelius & domestici eius, adhuc loquente Petro, Spiritum S. accipiunt. Lydia Paulo attendit & fit fidelis. &c. Plura exempla Liber Actorum suppeditat.

Act. 2. v. 37.

Act. 8. v. 30.

31.

Act. 10. v. 44

Act. 16. v. 14

58. Inde concludimus firmissimè: Vna semper & eadem est ratio apud Deum saluandi homines.

At olim per verbum Apostolorum homines conuertit; Spiritum S. largitus est; salutem operatus est.

Ergò & nunc eadem ratione, videlicet per verbum homines saluat. Et per consequens: Ex solo verbo salutis nostræ ratio haurienda est, &c.

59. Propositio ex Actis probatur: sic enim Petrus: per grati

gratiam, inquit, Domini Iesu Christi credimus salvari, c. 15. v. 17.
quemadmodum & illi

60. *Hinc dicitur*: ipse dedit quosdam quidem Apo- Eph. 4. v. 11
stolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Euange- 13. 14.
listas, alios autem Pastores & Doctores, ad consumma-
tionem sanctorum in opus ministerij: in ædificationem
corporis Christi: donec occurramus omnes in unita-
tem fidei & agnitionis filii Dei.

Assumptio nititur exemplis in medium productis.

Ergo, &c.

61. *Et hætenus quidem κατὰ κενώσικως, ex immotis*
scripturae fundamentis demonstravimus, universam salu-
tis nostrae rationem ex verbo hauriendam esse. Nunc pau-
cis contrariae opinionis ἀνακευβῶν attememus.

Argumentum I.

62. *Si salutis nostrae ratio tantum ex interno Spiritus*
S. dictamine peti potest & debet, necessario sequetur, falsi-
fos esse titulos & elogia, quibus verbum externum, præser-
tim Evangelij in scriptura ornatur.

Posterius ἀθεοπῶν ἀσεπείας. Ergo & prius.

63. *Declaratio propositi, hypoth. & eiusdem probatio* Ioh. 6. v. 68
hac est: vocatur verbum vitæ æternæ: sermo vitæ, lex Phil. 2. v. 16.
spiritus vitæ, lex libertatis, ministerium spiritus, admini- Rom. 8 v. 2
stratio spiritus & iustitiæ, potentia Dei ad salutem: Euan- Iac. 2. v. 12
gelium gloriæ Christi, Evangelium gloriæ beati Dei, 2. Cor. 3 v. 8. 9
gladius spiritus. Rom 1. v. 16.

64. *Hac omnia, si verbo quatenus est ministerium* 2. Cor. 4. v. 4
spiritus, adimantur, & interno eiusdem dictamini as- I. Tim. 1. v. 11
cribantur, quid nisi nomina sine rebus, verbo externo re- Eph. 6. v. 7.
linquentur? quod sanè affirmare ipsa impietate magis est
impium.

65. *Blasphemum ergo est, quando Grynæus scribit:*
Ministerio externo eius cohonestandi ergo phrasi Sacra-
mentali effectum ministerii interni, isto Pauli dicto, 2. Cor.
3: v. 6. alijsq; similibus tribuit.

Phrases

66. Phrases Sacramentales, secundum opinionem Cinglij per, significat, intelligendas & accipiendas esse, notum est: ita nimirum, ut signa rerum signatarum nomina duraxat sortiuntur $\mu\alpha\tau\omicron\nu\upsilon\mu\alpha\kappa\omega\epsilon$.

67 Sic ergo Euangelium predicatum, quod sonat in auribus piorum, non ERIT potentia DEI ad salutem omni credenti, sed significabit tantum potentiam Dei.

In apolog.
contra Philip.

68 Quid verò aliud olim Suencfeldius & cuius hac sunt verba: Verbum vocale, tantum est vox, sermo & S L A G N V M, quod in ore concionatoris incipit, & in auribus Auditorum rursus evanescit, & ad internum & semper manens verbum nos revocat, de quo concionatur & testificatur.

69 Sed satis de hoc impio glossemate, pergamus ad cetera.

Argumentum II.

70 Si salutis nostra ratio ex interna Spiritus S. revelatione dependet saltem unum dandum erit exemplum, quo probetur, à mundi exordio, hoc modo aliquem salvatum esse.

At exemplum vel unicum uniuersa scriptura ignorat. Ergo ex solâ interna Spiritus S. revelatione salutis nostra ratio minimè petenda est.

Argumentum III.

71 Si salutis nostra ratio ex interno Spiritus S. revelatione petenda est, nullus Scripturae sacrae, nullus Bibliorum usus erit.

Ad oppositum, Ergo & prius.

Connexae propositionis veritas sic euincitur: si est alius quis usus, aut ille corporalis, aut spiritualis erit.

Non spiritualis ex opinione Suencfeldianorum, nec corporalis: quia omni scripturae testimonio caret. Ergo nullus Bibliorum usus erit.

72 Olim contra hanc propositionem Suencfeldij hæc disputatum

ratum fuit: Ministerium esse institutum, ut exterior homo habeat occupationem aliquam, qua & hæc pars Deo ferviat, sicut abstinencia à scilla carne fuit tantum occupatio exterioris hominis.

73 Quod si talis esse debet Scriptura sacra & Bibliorum usus: utiq. illud testimonio aliquo probandum erit.

74 Assumptum probatur ex Epist. ad Rom. quæcunq. scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam consolationem Scripturarum spem habeamus. c. 15. v. 2.

Item, omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum paratus. 2. Tim. 3. v. 16. 17.

Argumentum IV.

75. Si ex solo interno dictamine Spiritus S. salutis ratio petenda esset, non opus fuisset institutione ministerij.

At consequens absurdum, pugnat enim cum sapientia Dei, & virtutem meriti Christi eleuat, quo nobis ministerium illud Euangelij peperit, &c. Luc. 24. Matt. 28. Mar. 16. Eph. 4.

Absurdum ergo & antecedens, &c.

76 Finem hic faceremus nisi prius ad calumniam quantum Adversariorum respondendum esset, Oecelamp. in lib. anno 25. edito

77 Obijciunt enim, nos magicam vim ministerio verbi ascribere, quasi ipsis syllabis, tanquam characteribus vim istam inesse statueremus. Suensfeld. in Apo!.

78 At falsissima est hæc insimulatio: quicquid enim virtutis ex verbo ad nos provenit, hoc unice divina virtuti acceptum ferendum esse dicimus, que per hoc medium se profert & exerit. 2. Cor. 3. v. 6.

79 Sicut ergo Sacramenta, ita & verbum abq. Spiritu S. nihil operatur, sed est externum illud meatum, per quod Deus in nobis operatur, unde & ministerium Nou. Test. ministerium Spiritus sancti nominatur.

Con-

30. *Contingenda itaq, sunt perpetuò virtus Dei, & verbi ministerium, ita ut quemadmodum illa sine hoc non est efficax: sic nec hoc sine illa salutare esse statuatur.*

1. Cor. 3. 7.
5. 6.

31. *Hinc Apostolus: Quis igitur est Paulus, quis est Apollos? Ministri eius per quos credidistis, Ego plantavi, Apollos rigavit, Deus autem incrementum dedit, itaq, neq, qui plantat, est aliquid, neq, qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, &c.*

32. *Sed illa aliàs plenius pertractabuntur. Hic satis sit, verbi divini usum amplissimum adversus impias Suensfeldi, anorum blasphemias asseruisse.*

Corollarium.

Bellar. lib. 1.
6. 5. Concil.
Trid. Sess. 4.
Stapletonius
controuer. 7.
lib. 12. c. 1.

Quæritur, utrùm verè tribui possit Pontificijs, quòd negent, scripta Prophetica & Apostolica esse verbum Dei: Bellarminus, mendacium esse dicit; nos verò verius esse affirmamus.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquijs et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gre.

De notitijs Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gtra Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dtra de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzā

De Ecclesiā triumphante in caelis disputatiōnes 2, quā una de sanctorū in vitā aternā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flegella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuias ob cās Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis etia fūditis sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dtra de reali communiōne idiomatum unā Personā Christi, M. Berndes.

Dtra de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi. de Sacramentis in gre GESNERI.


Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii grū, D. GESNERI.



manu qui erant in
 eius manu: et unum
 in regno regnum: et
 in regno addiderunt
 regne omni erant
 et omnia erant in
 manu: et unum
 in regno: nabuchodonosor
 et cetera: et amant
 ter: vobis et cetera
 et cetera: et cetera
 audierunt: et cetera
 et fabule: et cetera
 buce et psalterium
 tue: et vultus
 fidei: cetera: et cetera
 et cetera: et cetera
 et nabuchodonosor
 quis aut non
 et cetera: et cetera
 et cetera: et cetera
 et cetera: et cetera





B.I.G.

Farbkarte #13

Σω 859

THEOREMA

QVOD EX VERBO REVELATO

VNIVERSA SALVTIS

ratio petenda fit.

Moderatore

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, DN. IOHANNE

GEORGIO VOLCMARO, S.S. Theologiae

Licentiatō, & in Academia VVitenbergensi Professore publico:

Contra SPENCIFELDIANOS,

AD DISPUTATIONEM SECVNDAM

in Collegio studiosorum Theologiae privato propositum.

M. HERMANNO VVOLFIO

Lubecensi.

Respondente

CHRISTOPHORO ZECHE RO

Noribergensi.

VVITEBERGÆ

Typis Viduae Matthæi VVelaci

Anno, M. D. V C.

2.

